

/ Admodum R.do Patri, Patri f. Carolo Campigny Provinciali Caelesti-
norum in Gallis. - Avenionem.

1293

Admodum Reverende Pater.

Libentissime legi in litteris Paternitatis vestrae institutum
5 esse in ista provincia orationem mentalem quae est cibus aīae salu-
berrimus, et simul decretum factum esse de introductione studiorum
philosophiae et theologiae, quae studia non solum prosunt ad tollen-
dum ocium ^{ut} vīrutibus omnibus inimicum, sed etiam ad cognoscendum et
amandum Deum a quo bonum omne dependet, sed moleste tuli, quod intel-
10 lexerim institutionem domus novitiorum dilatam esse in aliud tempus.
Certe fundamentum totius observantiae regularis est bona institutio
novitiorum: neque fieri potest ut multi inveniantur ad officium ma-
gistri novitiorum idonei. Debet enim ejusmodi magister esse vivum
exemplar sive speculum perfectionis, qui edomitas habeat omnes ani-
15 mi passiones, et non minus exemplo quam verbo doceat suos discipu-
los. Et quamvis multum confidam prudentiae P.V. et aliorum Superio-
rum congregationis, tamen consilium do ut primo quoque tempore ins-
titutio novitiorum, quae in Italia ad unam domum solum revocata est;
istic in Galliis revocatur ad duas ex opulentioribus, quae commode
20 eos alere possint quales audio esse domum Parisiensem et Avenionen-
sem. Facilius enim erit duos magistros novitiorum idoneos invenire
quam multos, et contra quo plures erunt novitii in uno loco, eo ma-
gis proficient, sancta emulatione virtutum. Audio congregationem
Caelestinorum Gallicanam in universum satis esse reformatam; tamen
25 non deesse aliquos, praesertim ex prioribus qui in vescendis carnibus
absque necessitate et in usu lineorum indusiorum et in pecuniis vel
rebus curiosis retinendis sibi licitum esse existiment transgredi
regulam. Scio Pa.tem vestram habere zelum Dei et cupere bonam ratio-
nem posse Deo reddere administrationis suae. Novi enim non solum
30 de nomine ut alios provinciales, sed etiam de facie et conversatio-
ne Paternitatem vestram, ideo majore cum fiducia commendo Pat.i Vrae

/ congregationis perfectionem, et ut forti resistat paucis si qui
sint, qui splendorem sanctitatis Caelestinorum in ista provincia v
obscurare nitantur. Salvat (Valeat) P. tas V. ra et meam senilem ae-
tatem Domino Deo nostro commendet non ut diutius vivam, sed ut in
5 Domino pie moriar. Romae, die 5^o Julii 1613.

Admodum R. dae Pni. tis V. rae

Uti frater in Christo

Rob. Card. lis Bellarminus Protector.

Paris. Bibl. Nat. fonds fr. 15794. f. 51^v - 52. Copie.